

1440 cussa, post decimum iustum procubuit: ad cuius ruinam territi qui in arce erant, deditio[n]em fecerunt. Piscaria recepta, Mincium Sforcia transmisit: Villam Francam paucis diebus, & Vigasium, inde Vallegium quoque cum ponte, qui fluvio est impositus, ac plerisque Mantuani agri oppidulis hosti ademit. Dum circa Mincium hæc geruntur, Æstensis, paucis diebus apud Philippum absump[ti]s, cum Blanca secundo Pado vectus Mantuam venit. Attulit ea res non mediocrem Venetis suspicionem, aliquid inesse ratis, quod tam cito Sforcia cum socero in gratiam rediisset. Vehementer igitur addubitare, ne quid incommodi ex ea reconciliatione Respublica caperet. Verum rogatus ille ut in Marmariolum, Mantuani agri villam, ubi Blanca esset, de conjugio deque pace acturus se conferret, neque ad hostium loca injussu Patrum se iturum respondit, neque illos, si sapiant, permisuros. Quæ vox effecit, ut omni abjecta suspicione, Veneti de ejus fide prorsus ambigere desierint. Puella Pado flumine ex Mantua Ferrariam est missa, quam triduo post Æstensis est secutus.

Picininus secundum cladem illam ad Anglare acceptam, ex Burgo (quo se ex prælio receperat) in Flaminiam transiit, suisque coram partibus firmatis, Mediolanum magnis itineribus venit. Nec multo post & Lodovicus Pontificii exercitus Legatus in eam provinciam duxit: revocatisque Sigismundo & Malatesta fratribus ad Eugenii stipendium (quanquam Malatesta iterum ad Philippum defecit) paucis diebus oppida quædam voluntaria deditio[n]e recepit: quam Forlivienses & ipsi secuti, a Picinino defecissent, nisi præsidii, quo urbs inita erat, metu in fide retenta esset. Collatis ad hæc castris cum Jacobo Antonio Marcello qui ex Gallia in Flaminiam cum quinque equitum turmis missus erat, pro magno habuit negocio, Lodovicum Ravennam aggredi. Ostafius antiquam Venetorum amicitiam secutus, Marcelli fide implorata, Venetos intra mœnia accepit, urbemque ei tradidit: ipse vero cum conjuge & liberis Venetas abiit. Quidam, Ostasio invito, a populo deditio[n]em factam tradunt: quod ideo propius vero mihi esse

vide-